

Christi esse denegat sine dubio verum hominem de virgine natum nequam fuisse adfirmet adtendat. igitur unaqueque anima fidelis in Christo..... caritatis affectu si contrarium est aut blasphemum dicere filium dei secundum formam servi adobitvum proculdubio quod dici nefas est et illud blasphemum erit quod aliquando leo. aliquando catulus leonis. aliquando vitulus aliquando ovis sive agnus. victima hostia sacrificium olocaustum pro diversa varietatum causarum princeps et sacerdos homo et profeta virga et flos et radix. iudex et rex. Iustus et iustitia apostolus et episcopus bracium servus unguentum pastor puer. primo genitus Ostium angelus sagitta. aquila, vultur. lapis angularis. petra et cetera huiusmodi in Christo filio dei nomina pro salvatione humani generis ab eo suscepta sicut predictum est. quod absit hec omnia erunt blasphemie plena: set absit hoc a fidelium cordibus ut *dicere pabeant* quod Sanctarum scribtrarum testimonia nobis adobitvum pronuntiare non formidant: Set cui similem dixerimus antifrasium beatum os fetidum et omni spurcicia *saginatum*: de cuius lateribus aruina dependet. nabuzardan principem cocorum. muros Iherusalem destructorem: id est Sanctarum scribtrarum prevaricatorem nisi fausto manico qui patriarchas mundinarios assererat. De quo beatus agustinus inquires ait: Pius homo faustus dolet Christum maledictum fuisse a moysen. eo quod dicat maledictus omnis qui pependit in ligno: Faustus deluit Christum maledictum nefandus beatus dolet Christum secundum formam servi quempiam dicere adobitvum. Contrarius apostolo Iohanni et evangeliste qui dei filium deitate exinanita dicere non pabet advocatum idest adobitvum et in forma servi gratia plenum: Et iterum contrarius Ilerio ambrosio Isidoro Iheronimo et ceteris doctoribus qui nobis *predicant in humanitate*. non in divinitate adobitvum: et iterum cui similem dixerimus antifrasium beatum. nisi migetio casianorum et salibanorum magistrum nostris temporibus exortum: qui dum pro manie tipo in capite *cauteriaretur* a medico. se similem christo existimans et duodecim apostolos sibi eligens cuidam muliercule *coram* se adstanti ac super eum dolenti dixiste *fertur* amen amen dico tibi odie mecum eris in paradiso Similis et iste nefandus beatus migetij informantis exemplo: quum residisset crapulatus a vino: et brutis animalibus abbatem ordinaret rufinum. nomine et merito dignum: quod ipse idem rufinus ore proprio adtestatur in persona Christi se esse existimans rufino dixisse comprobatur ter vocabulo repetito: Simon petre amas me pasce obes meas: Idcirco similes dixerimus migetium et beatum quia equales in honore et pares in virtute: nam idem migetius moriturus tertia die resurrecturum se esse predixit. Et beatus in vigilia pasce hordonio libanensi populo presente finem mundi esse profetabit. Unde territus et amens populus ille factus in *eadem nocte* nullo cibo refectus die dominica usque ad horam nonam dicitur fuisse ieiunus. quidam dictus hordonius cum se fame afflictum esse cognosceret dixisse fertur ad populum: comedamus et bibamus et si fuerimus mortui saltem vel satiati. Idem vero beatus aegritudine simulans tertio die resurrectit..... *bus*¹ nec corpore mortuus. Nos vero anathematizamus bonosum qui filium Dei sine tempore genitum adobitvum fuisse blastemat. Anathematizamus sabellium qui ipsum esse patrem quem filium quem et spiritum sanctum et

1 Falta nec anima vibus.

non ipsud dei erat. Anathematizamus Arrium qui filium et spiritum sanctum creaturam esse existimat. Anathematizamus maniceum qui christum solum deum et non hominem fuisse predicat: Anathematizamus antifrasium beatum carnis lascivia deditum et onagram et erium² doctorem bustialium qui dei filium secundum humane servitutis formam adobitvum carnis nequamquam habuisse predicant: Unde obsecramus vos venerabiles in Christo ecclesiarum presules per adventum domini et terribile eius iudicium ut hec que supradiximus studiose tractare iubeadis et inclito Domino et glorioso principi relegendae presentetis reminiscetes illud. Nolite ante tempus indicare quo ad iusque veniat qui et inluminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium et tunc *laus erit* a deo: et dominus in evangelio: nolite iudicare secundum faciem. set iustum iudicium iudicate: nam quo iudicio iudicaveritis. iudicabimini. et in quo mensura mensi fueritis eadem remittetur vobis. Poscentes altitudinem vestram ut sicut unius christi vexillo presignati sumus. ita pacem illam quam Christus commendabit discipulis suis intemerato iure servemus Si quid vero aliter vestra prudentia senserit reciprocatus vestri sermo scordiam nostram enubilet: et lux veritatis radio veri dogmatis abdita pectoris nostri perlustrat: ut dilectio Christi in nobis rite perseveret: ut quos ubertas Christi fecundat. terre Spatium nullo modo dividat.—F. P. B.»³.

II.—CARTA Á FÉLIX³

«Domino Felice: Sciante vos reddo, quia exeunte Julio vestro scripto accepi, et exeunte Augusto vobis item scripsi. Sed eveniente occasione ad isto praesente igne consumptum est, et rediens ad me pene ad quadraginta dies denuo adsumpsi laborem, et scripsi ad ipso haereticum piceo Albino. quantum potui pro sua confusione scribere. Tu vero exempla illud, et sic illud dirige..... Kalendarum Novembrium direxi vobis scriptum parvum de fratre Militane, qui recta de Deo sentit. Nam et quatuor mibi quaterniones dixerat, quos direxi contra ipso Pseudopropheta foetidissimo in Beato. Certi-

1 Por Felium.

2 Hallase la Carta antecedente en un Código de pergamino muy mal tratado del tiempo y del agua en forma de Quarto, que se guarda en la Sta. Iglesia Primada de Toledo Cajon 5 núm. 16 todo escrito en letra Gothica, redonda menuda, bien formada: los titulos son de vermeillon. En este Código se halla lo primero la Carta antecedente á los Padres del Concilio de Francfort. 2.ª otra Carta del mismo Elipando al Emperador Carlos Magno sobre lo mismo. 3.ª otra Carta de Elipando á Migetio herege, á quien menciona en la Carta á los Padres Francfortenses. 4.ª se sigue de la misma mano el *Comentario* de Justo (que se cree, ser Obispo de Urgell) sobre los *Cantares*, dedicado á Sergio Papa; muy destruido lastimosamente, trastrocado, y fulto. 5.ª de la misma mano sigue el *Cármes Paschale* de Jureno, aunque igualmente fulto. Al fin de estos veros hai la subscripción siguiente de letra Gothica cursiva.

«Perscriptus est Liber iste Deo auxiliante sub die XVIII.º Kalendas Februarius era M. C. VIII.º Orate pro Vincentio Presbytero Scriptore, si Christum Dominum habeatis protectorem. Amen.»

La hoja en que se halla esta Nota, debiera ser la última; sin embargo se siguen despues algunas del *Cármes Paschale*. Cotejé esta Copia con dicho original en compañía del Señor Don Francisco Xavier Valcarcel, Canonigo, en 7 de Noviembre de 1753.—Andrés Burriel.

3 Con todos sus barbarismos y raras construcciones.

fica me qui est positus in Roma. Epistolam vestram caelitus quemadmodum mihi inlpsam exeunte Julio accepi, et Deo meo ulnis extensis inmensas gratias egi, qui me fecit tuis eloquiis conlaetari, inter ipsa quotidiana dispendia mundi, quibus duramus, potius quam vivimus.

»Sed Epistolam foetidissimam de filio Gchennae ignis Albino, novo Arrio in finibus Austriae tempore gloriosi principis exorto, non Christi discipulo, sed illius qui dixit: *Ponam sedem meam ab Aquilone et ero similis Altissimo*. De quo scriptum est: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Contra quem prout volui rescriptum reddidi, et Sanctorum Orthodoxorum atque Catholicorum sententias adstipulari. Tua vero sanctitas viriliter agat, et confortetur cor tuum, reminiscens quid ipse Dominus dicat: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quorum ipsorum est Regnum Coelorum*. Et iterum: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae. Cavete ergo ab hominibus. Tradent enim vos in Conciliis, et Synagogis suis flagellabunt vos et ad praesides et Reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus*.

»Ego vero direxi Epistolam tuam ad Cordubam fratribus qui de Deo recta sentium, et mihi multa scriperunt, quae in tuo adiutorio debueram dirigere. Sed ad ipso haeresiarum Albini Magistro Antiphrasio Beato direxi relegenda. Tu vero dirige scriptum illud pro tuo fidele glorioso principali, ante quam veniat ad ipso filio mortis Albino, qui non credit carnis adoptionem in Filio Dei, quem Sancti Patres et nos ipsi credimus in sola forma servitutis humanae, non in gloria vel substantia divinae naturae. De illo fratre nostro qui defunctus est audivi, quod aliquid nobis mandaratum dirigere, et ideo quaeso ut mandetis ad ipso famulo vestro Ermedeo, ut quaerat de Judaeis qui habent illic uxores et filios, qui fatigium det et nobis quantum Deus inspiraverit dirigat: ita tamen ut alii Judaei non sentiant qui apud nos habitant, aut si possibile est, ut quemlibet de humiles vestros nobiscum mercaturios qui veniunt dirigatis, et quid egeritis de vestra intentione, nobis certificate et maxime per libros duos Epistolarum beati Hieronymi et Opusculorum beati Isidori, quos habet Ermedeo, quos direxeram ad ipso fratri qui defunctus est: unde et mihi demandaverat quos alios similes repererat. Idcirco tamen applicate ipse Ermedeo ad vos, et instruite illum vestris eloquiis, et veram fidei doctrinam, sicut ego illi notui.

Me tamen cognoscite senectute jam decrepita octagesimo secundo a die octavo Kalend. Aug. ingressus fuisse, et orate pro nobis sicut et nos facimus pro vos assidue, ut nos Deus in regione vivorum pariter jungat. Sed omnibus fratribus demandavimus, ut pro vos sacrificium Deo offerant. Mereat quanto ocius de vestro rescripto laetus existere. Istum praesentem vobis commendo, et Presbyterum nostrum Venerium, si datum fuerit ut perveniat ad vos.»

»Bonosus et Beatus pari errore condemnati sunt. Ille credidit de Matre adoptivum et non de Patre ante saecula proprie genitum nec incarnatum. Ille credit de Patre genitum et non de matre temporaliter adoptivum»¹.

¹ Así debe leerse el párrafo que está truncado en las ediciones de S. Beato, y en la del Padre Florez. (Vid. *Opúsculos de Ambrosio de Morales*, tomo III.)

III.—CONFESION DE FÉ DE FÉLIX

»Incipit confessio fidei. In Dei nomine Felix olim indignis Episcopus, dominus in Christo fratribus Emanis presbytero, Ildesindo presbytero, atque Exuperio Gundefredo, Sidonio necnon et Ermegildo, seu caeteris presbyteris, similiter Vittildo diacono et Witirico, seu caeteris clericis in parochia Orgelitanæ ecclesiae degentibus, seu caeteris fidelibus ecclesiae in superdicto commisso conmorantibus, in Domino Deo Patre et Jesu Christo vero Filio ejus, Domino ac Redemptore nostro, et in Spiritu Sancto aeternam salutem.

»De caetero ad agnitionem vestram reducimus, quia postquam ad praesentiam domini nostri ac piissimi gloriosique Caroli regis perductus sum, et ejus conspectui praesentatus, licentiam ab eo, secundum quod et venerabilis dominus Laidradus episcopus nobis in Orgello pollicitus est, accepimus, qualiter in ejus praesentiam in conspectu episcoporum, quos ad se ordinatio gloriosi principis nostri convenire fecerat, sententias nostras, quas ex libris Sanctorum habere nos de adoptione carnis in filio Dei, seu nuncupatione in humanitate ejus credebamus repraesentaremus: qualiter non in violentia, sed ratione veritatis, nostra assertio rata judicaretur, si ab illis per auctoritatem Sanctorum Patrum minime repudiaretur. Quod ita factum est: nam prolata a nobis sententias de superdicta contentione, hoc est, de adoptione carnis atque nuncupatione, ita illi ex auctoritate de libris Sanctorum Patrum, id est, Cyrilli episcopi, et beati Gregorii Papae urbis Romae, seu beati Leonis, sive et aliorum Sanctorum Patrum, qui nobis prius incogniti erant, seu per auctoritatem synodi quae super in Roma hac intentione, praecipiente gloriosissimo ac piissimo domino nostro Carolo, adversus epistolam meam, quam dudum venerabili viro Albino Abbati Turonensis Ecclesiae scripseram, congregata est. In qua Synodo, praesente Leone apostolico, et cum eo caeteri Episcopi num. LVII residentes, et plerique presbyteri ac diaconi cum eis in domo beatissimi Petri Apostoli, per quorum omnium auctoritatem istas jam dictas sententias nostras, non qualibet, ut dictum est, violentia, sed ratione veritatis, ut oportuit, excluderunt. Quorum auctoritate veritatis et totius Ecclesiae universalis consensu, convicti, ad universalem Ecclesiam, Deo favente, ex toto corde nostro reversi sumus: non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudum, quod Deus scit: sed, ut dixi, vera cordis credulitate et oris professione. Quod etiam in conspectu multorum sacerdotum et monachorum professi sumus, poenitentiam gerentes de pristino errore et sacramento, quam pro hac intentione olim praevaricatus sum: profitentes nos deinceps adoptionem carnis in Filio Dei, sive nuncupationem in humanitate, nullo modo credere vel praedicare; sed secundum quod dogmatibus sanctorum Patrum informamur, eundem dominum nostrum Jesum Christum in utraque natura, deitatis videlicet et humanitatis, proprium ac verum Filium profitentes, Unigenitum videlicet Patris, unicum Filium ejus: salvas tamen utriusque naturae proprietates, ita dumtaxat ut nec divinitas Verbi Dei in natura (*naturam*) credatur humana (*humanam*) conversa,

vel humana a Verbo assumpta invidia (*in divinam*) mutata: sed utraque, id est divina atque humana, ab ipso conceptu in utero Virginis; ita in singularitate personae sibi inter se connexae atque conjunctae sunt, ut unicus Filius Patri, et verus Deus ex ipso utero genitus Virginis absque ulla corruptione editus prodiret. Non ita homo assumptus a Verbo de substantia Patris, sicut ipsumque Verbum a fidelibus genitus credatur, cum sit ex substantia matris; sed quia, ut dictum est, in ipsa vulva Sanctae Virginis ab ipso conceptu ab eo qui secundum divinitatem verus et proprius Dei filius, ex eadem Sancta Virgine natus est. Non alius Dei filius et alius hominis filius: sed Deus et homo, unicus Dei Patris verus ac proprius Filius, non adoptione, non appellatione, seu *nuncupatione*, sed in utraque natura, ut dictum est, unus Dei Patris, secundum Apostolum, verus ac proprius Dei filius creditur.

»Haec est confessio fidei nostrae quam, Deo juvante, a Sanctis Patribus per eorum scripta cognovimus, et ab universali Ecclesia post pristinum errorem nostrum accepimus et tenemus. Quod et vos omnes credere et confiteri, per eundem Dominum nostrum exhortamur, nil diminuentes aut addentes ex sensu vestro, sed hoc quod vobis innotescimus, cum universali Ecclesia indubitantes retinentes: et ut pro me misero, per quam usque nunc in Ecclesia Dei contentio versa est, ex totis praecordiis vestris Domini misericordiam implorare non dedignetur: qualiter propter vestram emendationem et orationem catholicorum sacerdotum, qui in simili praeveraricatione, ut ego, nequaquam obnoxii sum, Domini misericordiam, priusquam de hoc mortali corpore egrediar, consequi valeam. Quod per hoc me magis consequi a Domino confido, si scandalum seu error in fide, qui per me in usque nunc inter utrasque partes duravit, per me iterum omnia correcta atque sedata fuerint, atque omnia Ecclesiae membra in unitate fidei et concordia charitatis velut in unum corpus compaginata, ita nemo ex nobis in Ecclesia Dei ultra scandalum vel quodlibet schisma intrromittere audeat, sed omnes nos cum universali Ecclesia, quae in toto mundo dilatata noscitur, similiter sentientes, et ea quae dudum orta intentio est, id est, adoptionem carnis seu nuncupationem in humanitatem Filii Dei, anathematizantes, pacem, ut dixi, et unitatem Fidei cum omnibus fidelibus Ecclesiae, absque ulla simulatione, inconvulsa fide retineamus: ne cum Nestorii impietate concordantes, qui purum hominem Christum Dominum credidit, alicubi deinceps labamur, qui dixit:

«Oportet vero et de Dei dispensatione quam pro nostra salute in dispensatione Domini Christi Dominus Deus perfecit, scire quoniam Deus Verbum hominem perfectum assumpsit, ex semine Abrahae et David secundum pronuntiationem divinarum Scripturarum: hoc constitutum natura, quod erant illi, ex quorum erat semine, hominem perfectum natura, ex anima intellectuali et carne humana constantem, perfectum hominem constitutum secundum nos per naturam, Spiritus Sancti virtute in Virginis vulva formatum, factum ex muliere, et factum sub lege, ut omnes nos a servitutis lege redimeret, ante iam praedestinatam adoptionem accipientes, inenarrabiliter sibi veniens, mortuum quidem eum secundum legem humanam faciens, suscitans vero ex mortuis, et perducens in coelum et consedere faciens ad dexteram Dei: unde personam constitutos principatus, et potestates, et do-

»minationes, et virtutes, et omne quod nominatur nomen, non solum in hoc saeculo, verum etiam et in futurum, ab omni creatura accepti adorationem, sicut inseparabilem a divina natura habens copulationem, relationem Dei, et intelligentiam omni creaturae exhibentem. Et neque duos filios dicimus, neque duos dominos: quoniam unus Filius Patris secundum substantiam, »Deus Verbum unigenitus Filius Patris, sicut iste conjunctus et participes »constitutus Filii communicat nomine et honore. Dominus secundum essentiam Deus Verbum, cui iste conjunctus honore communicat. Et ideo neque »duos filios hos dicimus, neque duos homines: quia manifesto constituto secundum substantiam Domino et Filio inseparabilem, tenet ad eum copulationem, qui causa nostrae salutis assumptus confertur nomine et honore »Domino et Filio, non sicut unusquisque nostrum secundum seipsum constitutus est Filius. Unde et multi secundum beatum Paulum dicimus filii, »sed solus praecipuum habens hoc quod ad Dei Verbi copulationem, adoptionem et dominationem participans: auferens quidem omnem suspicionem »dualitatis filiorum et dominorum. Praestato vero nobis in copulationem »ad Domini Verbum, bonam haberet ipsius fidem, et intelligentiam et theoriam: pro quibus et adorationem, per relationem Dei ab omnibus coepit »creatura. Unum igitur Filium dicimus et Dominum Christum, per quem »omnia facta sunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes substantialiter Filium Dei et Dominum conspirantes autem assumptum Jesum »a Nazareth, quem unxit Deus spiritu et virtute, sic in Verbi Dei copulationem adoptionis participantem et dominationis, qui et secundus Adam.»

»Haec est sententia Nestorii haereticus, qui purum hominem absque Deo Virginis utero genitum impie astruebat. In quem hominem ex eadem Sancta Virgine procreatum et genitum, post natiuitatem ejus, Verbum Dei, hoc est divinitatem Filii Dei, descendisse et habitasse praeter ceteris sanctis impudenter praedicabat. Et ob hoc, sicut in Christo duas naturas, ita et duas personas in eo satis improbe vindicare contendeat. Nos vero ejus impietatem anathematizantes, quaedam testimonia ex libris Sanctorum Patrum, quos Ecclesia venerabiliter recipit, decerpentes, huic epistolae subnectimus, per quae nos ad viam veritatis post pristinum errorem nostrum reversi sumus, vobis subter ascriptam direximus: per quae et vos de dicta intentione veritatem fidei plenius agnoscere potestis, et ad rectum tramitem fidei reverti. Contra quas sententias Patrum dissentiens, aliter quam illae nos informant credere aut docere voluerit, et adoptionem et nuncupationem in carne Salvatoris, credere vel praedicare praesumpserit, anathema sit. A quo jaculo anathematis, » etc., etc. ¹

¹ Siguen á la carta los textos de San Cirilo, San Gregorio, San Atanasio, San Gregorio Nazianceno y San Leon.

CAPÍTULO VI

I.—SENTENCIA DADA POR HOSTEGESIS Y EL CONCILJÁBULO DE CÓRDOBA
CONTRA EL ABAD SANSÓN ¹

«In nomine Sanctae et venerandae Trinitatis. Nos omnes pusilli famuli Christi praesidentes in Concilio Cordubensi minimi Sacerdotes, cum in nostro Conventu Ecclesiastica discernerentur negotia, et divinitus dispensata contempti essemus simplicitas christiana; ex improvise quidam corrupta pestis, Samson nomine, sponte prosiliens, multas impietates in Deum, multasque sententias contra regulam praedicavit: in tantum ut imo idolatrix, quam Christianus assertor esse videretur. Adeo ut prima fronte assertionis suae licentiam daret, inter consobrinis conjugia profligare, ut dum carnalia carnalibus hominibus profligare, ad ceteras impietates illico prosilens, adjuutores sibi de trivio coacervaret. Unde ad cetera progrediens, damnare conatus est quaedam opuscula Patrum, quae canendi usus est in Ecclesia, et in tantum impietatis et perfidiae lapsus est, ut tam insane de Deo sentiret, ut quae nefas est dici, Divinitatem, inquit, omnipotentis sic asserit diffusam, sicut humus aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur. Ita ut asserat, aequali eum inesse essentia tam in Propheta, dum vaticinatur quam in Diabolo, qui in aera dilabitur, aut in Idolo qui ab infidelibus colitur, donec eum intra minutioribus vermiculis esse praedicet, quod nefas est dici. Nos autem per subtilitatem eum credimus intra omnia esse, non per substantiam. Et in tantum de hinc in ceteris delapsus est malis, ut praeter tribus Divinitatis personis, id est, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui una non ambigitur esse substantia, alias nescimus quas similitudines, non creaturas, sed esse asserat creatores, ut imo quam gentilium vanitates pluralitatem Deorum introducat. Et tam nefariae, tamque perfidae mentis ab una in alia dilapsus est vana assertio, ut videretur omnem scindere regulam. Quas praestigias et vanitatum voces anticipantes, ipsum Auctorem cum suo errore damnavimus, ut simplicitas christiana quae errori et garrulitatibus cedere nescit, tam nefario errore a membris suis abscedat. Et ideo exulem et nudatum cum a Sacerdotali obsequio sanximus, et in perpetuo ab omni Clericatus Officio abdicamus: imoque a totius Ecclesiae membro severius separamus: ne unius membri tabe pestis corruptos cetera sana et sincera, pestis involvat. Pro eo cautio eum canonico abscondendum elegimus, et illas vanas assertiones vitavimus, contenti Apostolico documento: *Haereticam, inquit, hominem post unam et aliam commotionem devita*. Si quis ergo post nostra salubria monita ei se sociaverit, aut illi adhaeserit, si quis illius vanas et inutiles commentationes observaverit, audierit, aut assensum praebuerit.»

¹ Excuso advertir que está reproducida con todos sus barbarismos y malas construcciones.

II.—PROFESION DE FÉ, DE HOSTEGESIS Y SUS PARCIALES, DIRIGIDA A
LA IGLESIA DE TUCCI

«Summo studio, sagacique indagazione Ecclesiam nobis a Domino traditam, et ad regendum fideliter creditam speculantes, omne conamur scandalum abdicare, omnesque garrulitates abjicere: ut ipsa nihilominus Sancta Ecclesia, quae alienis appetitur hostibus, saltem domesticis consoletur concordis: ut dum uno fidei merito coalescit, unaque connexione regulae conservatur, non solum charitate, verum etiam virtutibus augeatur Novimus, novimus, et certi equidem sumus, hujus nos negotii debitores existere: hujus sanctae fidei regulam caute attendere, devote praedicare et inter ipsa fidei merita terminos Patrum omni custodia observare. Siquidem Propheta loquente, terminos, inquit, Patrum tuorum ne transgrediaris. Et quia sunt nonnulli, qui ambages causarum suo velint judicio sauciari, et Patrum regulas praeterire, non advertentes in ipsis regulis Patres divino siquidem spiritu esse afflatos: suo quippe judicio non verentur, aut transgredi aut incongrue uti, more procacium et garrulorum, qui majorum libris infamando, sibi incauta moderatione velint nomen acquiri. Siquidem nuper exortam quorundam controversiam fidei regulis obviam juste anticipavimus et eos qui in obstinatione sua durarunt, in perpetuum mancipavimus aequae sententiam. Illos vero qui post inusitatis motibus ad pacem Ecclesiasticam et ad concordiam fidei et Patrum regulas devote conversi sunt, ovando suscepimus, et in Charitate amplectendo ad Ecclesiae gremium revocavimus. Nec nos in hoc victores attollimus: qui non nobis sed divinae credimus veritati. Utrarumque ergo partium est victoria, dum Christus in nobis vincens tuam charitatem in utramque profligans partem uno articulo fidei tenere disposuit. Et ut patulo, et ab obscuris ad lucem venire festinet ea quae ambigua obviamque in plerasque mentes turbo congesserat, ipsis nihilominus causis e parte contextimus, ut interjecta nube colore Spiritus Sancti possit, optamus hanc nebulam dissipare.

«Primo catenus in hujus latae sententiae in fronte contextimus, quae primitus male et incaute ac praecipis vulgatae sunt: Scilicet psalmodiam quam ab anterioribus Patribus hactenus inter Ecclesiasticis regulis canuerunt: in qua quippe antiphona non solum psallendi virtus ab Auctoribus est expressum, verum etiam fomes haeresum abdicatum, hi incaute et in mature damnaverunt. Nec praeterendum est hujus antiphonae textum exprimere, ut illico ex ea ostendatur fidei meritum: quae tunc recte expressa sit contra Nestorium: *Oh quam magnum, inquit, miraculum inaudium, virtus de coelo prospexit: obumbravit uterum Virginis, potens est majestas includi intra cubiculum cordis januis clausis*. Credimus, credimus Verbum Dei Omnipotentis inlapsum in utero Virginis, et juxta unionem Personae fuisse januis clausis. Et ut cedat Nestorii dogma, non ambigimus eum esse inclusum juxta unicum denique filium, nec in Jordane flumine, sed in utero credimus incarnatum. Praeterea lineas Patrum tentantes, prosapiam affinitatis inusita-

tae utentes, inter consobrinos conjugia profligare sanciebant. Quibus motibus pressis, hoc ab Ecclesia dogma abscondimus, et ad veram Patrum tenendam auctoritatem plerosque tali sententiae accedentes, praedicatione equidem revocavimus. Praeterea vero in plurimis dissentientibus ea sunt conati discutere, quae ab ipsis auctoribus Ecclesiasticis, cum omni cautela, non tam dispositum, quam quidem cum omni formidine, quantum in eis fuit, conarunt edisserere: cum et de tali quaestione divini equidem libri plerumque tacuerunt.

»His de ipsis nihilominus scriptoris utentes, quae nobis divina inlustratione suggerit, de praesentia etenim Dei multa et varia autumantes, certam de hoc, non nostram sed divinam, et auctorum dispositionibus firmam sententiam. Credentes quippe incorporeum et inlocalem Deum, qui omnia suo moderamine justo disposuit, regit et ambit, sic omnia in omnibus esse, ut non diffusus, sicut humus aut humor, aut aer aut lux ista difunditur qui in parte sui minor, est quam in toto: sed esse plenum in omnia, ut intra eum etiam coarctentur universa. Dei illius quippe praesentia sic ita affatur Divina Scriptura: *Coelum et terram ego impleo*. Et illud: *Gyrum coeli circumvi sola*. Praeterea inquit: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Hinc est etiam quod Dominus ait: *Coelum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum*. Rursumque de eo scriptura est: *Coelum metitur palmo, et terram pugillo concludens*. Inquit Beatus Gregorius: *Ostenditur quod ipse sit circumquaque cunctis rebus quas creavit, exterius. Id namque quod interius concluditur, a concludente exterius continetur*. Et infra: *Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse subius omnia. Superior, videlicet, per potentiam, inferior per sustentationem et exterior per magnitudinem, et interior per sublimitatem*. Et ut breviter nihilominus Beatus Gregorius suam praesentiam texeret, ait: *Est itaque inferior, et superior sine loco*. Unde ergo si inlocalis credendus est, cur a quibusdam otiosis factoribus inter supra et idola et muscarum et vermium, imoque cimicum, et culicum specialiter habiturum fatetur? Nos autem generaliter ubique et inlocaliter summam confitentes Trinitatem, etsi eum generaliter intra omnia credimus, tamen specialiter solummodo in Dominum Jesum Christum fatemur. De hoc enim singulari dono in Dominum Jesum Christum, ita denuo in libro *Moralium* secundo Beatus affatur Gregorius. Si prophetiae, inquit, Spiritus Prophetis semper adesset, David Regi de templi se constructione consulenti nequaquam Natham Propheta concederet, quod post paululum negaret. Unde bene in Evangelio scriptum est: *Super quem videritis spiritum descendentem et manentem super eum, ipse est qui baptizatus*. In cunctis namque fidelibus spiritus venit, sed in solo mediatore singulariter permanet, quia ejus humanitatem nunquam deseruit, ex cujus divinitate processit. In illo igitur manet qui solus et omnia semper potest. Nam fideles, qui hunc accipiunt, cum signorum dona habere semper, ut volunt, non possunt, hunc se accepisse quasi in transitu ostensione testantur. Igitur si Spiritus Sanctus, in solo mediatore permanens, a Sanctis etiam viris substrahitur, in solo mediatore vermiculos, stupraque et idola ac daemones praedicare. De tali enim cavenda assertione beatus in explanatione Esaiæ loquitur quidem Hieronymus: *Domus, inquit, Dei quae sursum est, gloria plena conspicitur*. Haec vero quae deorsum est, nescio an plena sit gloria; nisi forte secundum Psalmistae sen-

sum dicentis: *Domini est terra et plenitudo ejus*. Cur, ergo, a quibusdam remitte otioseque praedicatur in stupris, unde Sancta Scriptura conticuit? Sed et ipsi etiam nihilominus illustrissimi viri de plenitudine ejus, ac praesentia caute loquentes, idolorum et vermium et muscarum praetereuntes, hoc solummodo generaliterque confessi omnipotentiam summae Trinitatis intra omnia, sed non inclusum, extra omnia sed non excludum, liberaliter praedicarunt. Praemissa quidem cimicum et culicum memoria, de hac speciali Sancti Spiritus in Domino Jesu Christo mansione, denuo beatus sic loquitur quidem Hieronymus in explanatione Epistolae Pauli Apostoli: *Excepto etenim, inquit, Domino Jesu Christo in nullo Sanctum Spiritum permansisse; quod signum et Baptista Joannes acceperat, ut super quem vidisset Spiritum Sanctum descendentem et manentem super eum, ipsum esse cognosceret*. Ex quo ostendit quidem super multos descendere Spiritum Sanctum, sed proprie hoc esse Salvatoris insigne, quia permanet in eo. Sed et beatus adhuc Gregorius in *Moralium* libro decimono ita denuo loquitur: *Deus, inquit, intelligit viam ejus et ipse novit locum illius*. Haec coeterna Deo sapientia aliter habet viam, atque aliter locum. Locum vero si quis intelligat, non localem, nam teneri corporaliter non potest Deus, sed sicut dictum est, locus intelligitur non localis. Locus sapientiae Pater est: locus Patris sapientia, sicut ipsa sapientia attestante dicitur: *Ego in Patre, et Pater in me*. Vocem etenim juxta divinum eloquium Sancti Spiritus audivimus, sed unde veniat et quo vadat ignoramus. Et quem inlocalem et incomprehensibilem confitemur, otiose intra idola et stupra et cloacas nequaquam proferre habitatorem audemus. Absurdum valde est ut habitator Daemonum Dei habitatio praedicetur, cum saepe in Prophetis dictum equidem sit: quia in manufactis ipse non habitat Deus, quem etiam in sanctis viris permansisse non credimus: quia quem inlocalem fatemur, amplius transcendere non possumus. Nec enim ambigimus nos Sancti Spiritus lumine fultos, de quo Evangelista Joannes loquitur dicens: *Erat, inquit, lux vera quae inluminat omnem hominem in hunc mundum ventientem*. Et illud: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Sed ita eum inluminare cunctos credimus, ut inlocalem fateamur et incomprehensibilem, et aliquando a Sanctis quidem viris subtractum: sed ut nobis se orandi panderet viam, et plenam domum gloriae suae ostenderet, sic ipse nihilominus Dominus Jesus Christus suos informavit discipulos: *Cum oratis, inquit, dicite: Pater noster, qui es in coelis*. Et rursum de eo divinum eloquium ita affatur: *Habitatio ejus sursum*. Et illud: *Coelum mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum*. Et infra ei dicitur: *Qui sedes super Thronum et judicas aequitatem*. Et illud: *Exaudi de coelo, Domine*. Et alibi: *Laudate Dominum de coelis*. Et multis saepe in locis: *Ad te, inquit, levamus oculos nostros qui habitas in coelis*. Et: *Unus est, inquit, Pater vester qui in coelis est*. Salomon autem ut locum ostenderet habitationis illius, ait: *Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expandit manus suas in domo hac, exaudiet in coelo, in loco habitationis tuae*. Et alibi ipse nihilominus Salomon: *Ergone reputandum est, inquit, quod vere Deus habitat super terram? Si enim coelum et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus ista, quam aedificavi*. Cumque etiam de templi consecratione illustrissimi viri benedictionem texerunt generalem, sic inquirunt: Deus qui cum in manufactis ipse non habitas, hominum tamen manufacta benedicis. Unde et

Dominus Jesus Christus a Sancto Spiritu incarnatus, qui in unione personae localiter est credendus, ille, qui inlocalis est, non in terris sed ad dexteram suam locavit in coelis. Sed et ipsa nihilominus spiritalis Angelorum creatura indefessus vocibus, juxta Esaïam, ter Sanctus in Coelis canere non cessant. Hac etenim confessione contenti, sufficiat cunctae Ecclesiae incomprehensibilem summam Trinitatis divinitatem supra omnia et subter omnia et ante omnia et post omnia esse. Oculis vero ac mente, manibusque ad Deam in Coelis levare, et tota mentis intentione confiteri. Si quis vero praemissa hac confessione, de porcis, culicibus, cimicibusque, idolis vel stupris, Daemonibusque otiosam fecerit quaestionem, aut specialiter divinitatem habitatricem amoto pudore praedicaverit, iste a nobis perpetua damnatione feriat, et a membro Ecclesiae severius excludatur. Sufficiat autem ad credulitatem nostram, omnipotens Dominus omnia in omnibus esse, et omnium rerum conditorem existere: nec duo principia, sed unum conditorem cunctarum rerum liberaliter confitentes, magnis et minutis animantibus, et omnia quae in coelis et quae moventur et fiunt in terris, ipsius conditione cuncta fatemur et credimus.

»Abdicamus ergo vanas et garrulorum hominum quaestiones, quas vitandas commendat Apostolus: *Stultas, inquit, et sine sensu quaestiones devita.* In nullo enim proficiunt, nisi ad subversionem animarum. Sufficiant nobis voces Prophetarum, et Sancti Evangelii verba, contenti nihilominus Doctorum sequentes vestigia. Taceatur de his quae nec dicta sunt, nec ullo modo ad fidem proficiunt. Hi enim talia praedicantes aura favoris, et, ut ita dicamus, corporis otio circumacti, nequaquam verentur auctorem omnium idoli habitatorem existere, locumque hunc habitationis illius praedicare. Unde bene sub Judeae specie per Prophetam torpens otio anima defletur, cum dicitur: *Viderunt, inquit, eam hostes, et deriserunt Sabbata ejus.* Praecepto etenim legis ab exteriori opere in Sabbato cessatur. Hostes ergo Sabbata videntes irridentes, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt. De tali enim hominum otio beatus ait Gregorius: *Pleumque contigit, ut quanto securius ab extremis actionibus animae cessant, tanto latius inmundum in se cogitationis strepitum per otium congerant. Sed et ipse nihilominus beatus Gregorius de magnitudine et incomprehensibilitate divinae omnipotentiae sic loquitur: Invisibilia quippe, quae per Omnipotentem sunt condita, humanis oculis comprehendere non possunt.* In rebus ergo, creatis discimus creatorem omnium, quanta humilitate veneremur, ut in hac vita usurpare sibi de omnipotentis Dei specie mens humana nil audeat: quod solum electis suis praemium in subsequenti, aeterna videlicet, remuneratione servat. Unde bene dictum est: *Abscondita est ab oculis omnium inventum.* Et si a nobis Sanctus Spiritus cum omni timore profitendus est in sanctis viris aliquando infundi, aliquando subtrahi, quo ordine specialiter praedicandus est, in suis, delubris ac daemonibus habitare, qui omnia inlocaliter amplectit et ambit, et non habitat etiam in corpore subito peccatis? Habitationem illius ubique sine loco confitemur, et credimus qui *pertingit a fine usque ad finem foriter, et disponit omnia suaviter*; qui etiam juxta usum nostrum, dicitur principium et finis: tamen est principium sine principio et finis sine fine.

»Ovantes denique jam amplectimur cunctam in pace solidatam Ecclesiam,

et orantes cum gaudio dicimus: *Confirma hoc, Deus, quod operaris in nobis.* Necnon et illud: *Firmetur manus tua, Deus, et exaltet dextera tua.* Credimus quippe exaltatam dexteram tuam in virtute, cum nos unanimes cernimus: cum divitias charitatis tuae mutue abundamus; et nunc laudamus sanctum et ineffabile nomen tuum votive ac perpetim cum Propheta dicentes: *Benedictus Dominus de die in diem. Prosperum iter faciat nobis Dominus Deus noster.* Et optamus ut gradiatur nobiscum prospere in fide, et moribus in hujus vitae anfractibus per actos, donec ad terram repromissionis aeternam, distribuente nobis Jesu genito, haereditatem capiamus cum eo perpetuam; qui vivit cum Patre et Spiritu Sancto una admodum, et coequalis substantia per infinita semper saecula saeculorum. *Amen* ¹.

CAPÍTULO VII

I.—TRATADO «DE PROCESSIONE MUNDI» DEL ARCEDIANO GUNDISALVO (INÉDITO) ²

«Invisibilia Dei per ea quae facta sunt facta mundi conspiciamus; si autem vigilantem haec visibilia conspiciamus, per ipsa eadem ad invisibilia Dei contemplanda conscendimus. Vestigia enim Creatoris sunt mira opera visibilibus creature, et ideo, per haec quae ab ipso sunt sequendo, pervenimus ad ipsum, unde in Libro scriptum est: Per magnitudinem creature et speciem potest intelligibiliter Creator videri. Cum et magnitudo, pulchritudo et utilitas tantum miranda proponantur, profecto potestas Creatoris, sapientia et bonitas, quae invisibilia Dei sunt, revelantur. Non enim tam magna faceret nisi potens esset, tam pulchra, nisi sapiens, tam utilia, nisi bonus. Unde de sapientia scriptum est: In visis ejus ostendit se hilariter et omni providentia occuserit illi. Vie quippe ad Creatorem sunt opera ipsius quae dum diligenter attendimus, ad cognoscenda occulta ejus utcumque attingimus. Unde ad intelligenda invisibilia Dei, speculationis materia nobis bipartita proponitur, scilicet in rerum compositione et dispositione et causa utrumque movente. Compositio est principiorum ex quibus aliqua fit conjunctio; dispositio est conjunctorum ordinata habitudo; causa vero movens alia est primaria, alia secundaria, alia est tercie dignitatis et deinceps. Ad speculationem autem tria sunt necessaria: ratio scilicet, demonstratio et intelligencia. Accedit enim ad compositionem ratio, demonstratio ad dispositionem, ad causam intelligencia. Unde dicitur quod in naturalibus racionaliter, in mathematicis disciplinaliter, in theologicis intelligencialiter versari oportet. Et rationi quidem sufficit possibilitas, demonstrationi vero necessitas, intelligencie vero simplex et mera quedam concepcio. Ad intelligenciam autem per intel-

¹ Vid. el Apologético del abad Sansón, en el tomo XI de la España Sagrada.

² El manuscrito ha sido reproducido fielmente; así lo exigían la importancia del documento y el ser la copia única; aunque el copista antiguo no pecó de escrupuloso, y cometió bastantes faltas, algunas de ellas fáciles de corregir.

lectum sive per demonstrationem, ad intellectum per rationem, ad rationem vero per ymaginacionem et ad ymaginacionem per sensum ascenditur. Sensus enim apprehendit sensibiles formas simul in presenti; ymaginacio, formas sensibiles in absenti materia simul, ratio, formas sensibiles preter materiam; intellectus, formas intelligibiles tantum; intelligencia vero unam simplicem formam ut cumque sit similiter apprehendit. Hiis igitur gradibus ad Deum mens humana contemplan-do ascendit et ad hominem divina bonitas descendit. Racio inquiri componendo et resolvendo; resolvendo ascendit, componendo descendit. In resolvendo enim ab ultimis incipit; in componendo a primis incipit. Unde per ea que facta sunt, invisibilia Dei intellecta facta mundi conspiciunt, cum ratio ad compositionem accedit hoc modo: totus hic mundus quem linearis circulus ambit ex gravibus et levibus integraliter consistit; sed motus gravium est ire deorsum, et motus levium est ire sursum. Cum gravia et levia de natura sua habeant ire in oppositas partes, tunc nequaquam in corruptione hujus corruptibilis mundi convenirent, nisi aliqua causa cogens illa componeret: mundus igitur sublunaris ab alio compositus. Item omne corpus constat ex materia et forma; omne enim corpus substantia est et aliquid quantitatis et qualitatis est. Forma vero et materia oppositarum proprietatum sunt, nam altera sustinet et altera sustinetur, altera recipit et altera recipitur, altera format et altera formatur, que autem oppositarum proprietatum sunt nunquam ad aliquid constituendum per se conveniunt, forma igitur et materia in constitutione corporis per se non conveniunt; que autem non conveniunt, profecto cum in alio sibi opposita inveniuntur, quod compositorem habeant evidenter ostendunt: omne igitur corpus compositorem habet, sic itaque totus mundus. Item omne quod est aut cepit esse aut non cepit esse, aut habet initium aut caret initio; quod autem aliqua habeant initium manifeste indicat resolutio hujus sensibilis medii. Multa enim videmus hujusmodi desinere esse que nisi aliquando incepissent non desinerent unquam: nichil enim occiditur quod non oritur, nec solutio nisi compositionem sequitur. Quicquid enim intellectus dividit et resolvit in aliquid, compositum est ex his in que resolvitur. Ergo multa ex tam diversis composita assidue corrumpi et disolvi videamus, nichil aliud corrumpitur nisi quod generatum est; sed omne quod generatur incipit fieri quod non erat prius; ergo necesse est ut quecumque corrumpi videamus, ea aliquando incepisse dicamus. Omni autem incipienti esse aliqua alia res sibi dedit esse, et omne quod incipit esse, antequam sit, possibile est id esse, quia quod impossibile est esse, nunquam incipit esse, sed quod possibile est. Item cum incipit esse de potentia exit ad effectum, de possibilitate ad actum; exitus autem de potentia ad actum motus est; quicquid ergo incipit esse movetur ad esse; omne autem quod movetur ab alio movetur; omne igitur quod cepit esse, non ipsum, sed aliqua alia res dedit esse; ipsum enim cum non erat, sibi dare esse non poterat; quod enim non est nec sibi nec alii dare esse potest. Impossibile est etiam ut aliquid sit causa efficiens sui ipsius; omnis enim causa efficiens prior est eo quod efficit. Si igitur aliquid daret sibi esse, tunc illud esset prius et posterius se ipso, quod est impossibile: quare omni incipienti esse aliud aliquid dedit esse. Iterum illud aliud aut incipit esse aut non incipit esse; si vero et illud incipit esse tunc aliquid aliud dedit sibi esse, et ita inquirendo aut in infinitum; tunc autem aliquid oc-

curret quod incipientibus dederit esse, ipsum vero nullatenus cepit esse. Quod autem est et non incipit esse, hoc encium est illud; ergo quicquid sit, prius est omnibus habentibus initium, et sic est principium et prima causa omnium.

»Prima vero causa non habet causam, alioquin jam non esset prima, quod sic probatur: omne quod est aut possibile est esse, aut necesse est esse; sed aliqua causa est prima: ergo prima causa vel possibile est esse, vel necesse est esse; omne autem quod possibile est esse, cum consideratum fuerit ipsum in se, ejus esse et non esse utrumque est ex causa. Cum autem fuerit, jam recepit esse divisum a non esse; cum vero non fuerit, jam habet non esse divisum ab esse, et non potest esse quin utrumque istorum duorum vel habeat ex alio vel non habeat ex alio; si autem habuerit ex alio, profecto ipsum erit ex causa, quod vero non habeat ex alio, hoc impossibile est: manifestum est enim nullum posse evenire ad aliquid nisi per aliquid aliud quod habet esse; similiter ad non esse. Ipsum enim vel est sufficiens per se ad habendum esse, vel non est sufficiens; si autem ipsum per se est sufficiens ad utrumque recipiendum, tunc cum habuerit esse, erit ens per se et erit necessarium esse; positum est autem non esse necessarium esse; simul ergo est necessarium et possibile, quod est contrarium. Si autem non est sufficiens sibi ad habendum per se esse, sed aliquid aliud est a quo est esse illius; omne autem cuius esse est ex esse alterius a se qui omnia egit ad esse, illud utique est causa ejus: tunc possibile prius causam habet et non habet quodlibet duorum receptorum per se nisi per causam. Intellectus enim essendi est ex eo quod est causa essendi et intellectus non essendi est ex causa privante essendi rem. Dicimus ergo de intencione essendi possibiliter, quia omne quod habet ex causa sua habet et respectu ejus. Quamvis enim non habeat esse cum sua causa extiterit, est tamen etiam possibile, licet habeat esse vel non esse, ut sit appropriatum alio illorum duum. Monstratum est igitur quod quicquid est possibile est esse non habet esse nisi respectu sue cause.

»Prima igitur causa non est possibile esse, igitur necesse est esse; unde non habet causam; quod enim necesse est non habet causam manifestam. Si enim necesse esse habeat causam sui esse, profecto ejus esse esset per ipsum; omne cuius esse est per aliud, cum ipsum fuerit consideratum in se esse, non esset necessarium; quicquid autem consideratum in se sine alio non invenitur habere necessarium, illud non erit necessarium per se; unde constat quod si necessarium esse per se habet causam, non est necessarium esse per se. Manifestum est igitur quod necesse esse non habet causam, patet quod ex hoc etiam esse impossibile unam rem habere necessarium esse per se et habere necessarium esse per aliud. Si enim necessitas sui esse est per aliud, tunc impossibile est illud esse sine alio, impossibile est igitur ut habeat necessarium per se. Si enim fuerit necessarium esse per se, profecto est illud esse sine alio; impossibile est igitur ut habeat necessarium per se; igitur necesse esse non habet causam. Dicimus etiam non posse esse ut id quod est necesse esse habeat per alterius; sed equaliter se concomitantur in necessitate essendi. Cum enim consideratum fuerit unumquodque eorum per se sine alio, aut erit necessarium per se aut non erit necessarium per se; si autem fuerit necessarium per se, aut habebit necessitatem etiam cum alio cum consideratum fuerit cum alio, et si sic fuerit, tunc hoc

erit necessarium per se et necessarium per aliud, et hoc est inconveniens, ut supra ostendimus; aut non habebit necessitatem cum alio ita ut esse ejus sequatur ad esse alterius et comitetur illud; immo esse ejus non pendebit ex esse alterius, ita ut hoc non sit nisi et illud fuerit, et e contrario. Si autem non fuerit necessarium per se, oportet ut consideratione sui per se sit possibile esse, consideratione vero alterius sit necessarium esse, et tunc impossibile est quin illud aliud aut sit sic aut non sit sic. Si autem et illud aliud fuerit sic, impossibile est quin necessitas hujus essendi sit ex illo, cum illud vel est possibile esse vel necessarium esse. Si autem necessitas essendi hujus fuerit ex illo, tunc illud est necessarium esse: sed hoc non habuit necessarium esse per se nec per tertium aliud aliquid, sicut predicimus, sed per illud quod versa vice habet necessitatem essendi ab ipso, et necessitas essendi hujus indigerit necessitatem essendi illius quod e contrario non habuit esse post necessitatem essendi hujus: hoc posteritate essentiali.

»Tunc hoc non habebit unquam necessarium esse per se nullo modo. Si autem necessitas essendi hujus fuerit ex illo, cum illud est possibile esse, tunc necessitas essendi hujus erit ex illo existente possibili et dante huic necessitatem essendi, nec accipiente ab illo possibilitatem essendi sed necessitatem; ergo possibilitas essendi erit causa necessitatis hujus et hoc non erit causa possibilitatis illius essendi; ergo non erunt concomitantia, cum unumquodque eorum sit causa per se et creatum per se. Deinde etiam comitigit aliud quod cum possibilitas essendi illius fuerit causa necessitatis essendi hujus, tunc esse hujus non procedit ex esse ejus sed ex esse illius; nos autem possumus illa concomitantia; ergo non possunt esse concomitantia in esse nisi forte ambo pendeant ex alia extrinseca causa, et tunc oportebit ut aut alterum eorum sit primum per se aut sit aliquid aliud extrinsecus quod det ei esse secundum habitudinem essendi quam habent inter se et instituat habitudinem interea secundum quam habeant esse; relatorem autem alterum non dat esse alteri sed est simul cum eo; datorem autem est esse causa conjungens illa. Due etiam materie vel duo substantie sole non sufficiunt per se ad conferendum sibi hoc esse quod dicitur de eis, sed egent alio et alio tercio quod componat ea inter se. Necessesse est enim unum istorum duum esse, scilicet ut esse uniuscujusque horum et certitudo non sit nisi fuerit cum alio, et ita tunc suum esse per se; non ergo erit necessarium, ergo possibile, ergo creatum; unde ipsum et sua causa, sicut diximus, non comitantur se in esse; ergo sua causa erit aliqua res alia que propter hoc et illud non erunt causa habitudinis que est inter illa; sed illa alia causa vel ut non sit necessesse esse simul cum alio, et ita hoc simul esse erit quod accidens inutile ad esse ejus proprium, unde proprium esse ejus non erit ex comitantia comitantis secundum quam est suum comitans, sed ex causa precedente, si ipsum creatum fuerit. Tunc ergo esse ejus aut erit ex comitante, non ex eo quod est comitans, sed ex proprio esse comitanti et ita non erunt comitantia, sed causa et creatum, et etiam comes ejus erit causa principalitatem habitudinis que est inter illa ut pater filius; aut erunt comitantia sed hoc quod nullum eorum est causa alterius et habitudo erit necessaria ad esse eorum; sed prima causa habitudinis erit res extrinseca instituens duas essencias eorum, sicut scisti, et habitudo erit accidens; unde non

erit illi comitantia nisi per accidens separabile vel inseparabile: hoc autem est preterpropositum. Id autem quod est per accidens erit causa indubitante; unde ex parte comitancie erunt duo creata, et illa nullum eorum necessarium esse per se.

Dicemus etiam quod necessarium esse debet esse unum in se. Sint autem, sint multa et sit unumquodque eorum et necessarium esse; necesse unumquodque in sua essentia vel non differre ab altero alio modo, vel differre. Si autem non differunt unum ab alio intellectu sue essencie proprie, differt autem unum ab alio in eo quod unum non est aliud. Hec enim differentia est sine dubio; profecto unum, differt ab alio per aliquid quod est preter intellectum essencie. Intellectus enim essencie est in eis non diversus, sed est adjunctum aliquid per quod factum est hoc vel est in hoc, vel per quod hoc factum est hoc, nec illud est ad aliquid junctum; est autem adjunctum unicuique aliorum aliquid per quod hoc factum est hoc et e contrario, vel quod hoc est hoc, idem aliud. Hec enim idem sunt in essentia et est in eis alteritas, aliqua est diversitas: ergo sic teneamus quod unum quodque eorum sit idem in essentia cum alio et differat ab alio. Dico ergo quod ea que affixa sunt extrinsecus essencie sunt de numero accidentium consequentium, non essentialium. Hec autem accidentia consequentia si accident ipsi essencie ex hoc quod est ipsa essentia, necesse est tunc quod omnia conveniant in eis. Jam autem diximus illa differre in eis: ergo conveniunt et differunt in eadem, quod est inconveniens vel si accidit omnis diversitas ex causis intrinsicis, non causis essencie addictis, tunc si causa illa non esset, profecto non differunt. Ergo si causa illa non esset essencie illorum non essent una, sed non sunt una; ergo si causa illa non esset, non haberet unumquodque eorum necessarium esse per se discretum ab alio; ergo necessitas essendi uniuscujusque illorum propria et solitaria est ex causa intrinseca. Jam autem ostendimus quod quicquid est necessarium esse per aliud non est necessarium esse per se. Immo in diffinitione essencie ipsius est possibile esse, cum unumquodque eorum sicut est necessarium esse per se, sic etiam est possibile esse per se, quod est inconveniens. Ponamus autem illa differre in aliquo accidente essentiali, postquam conveniunt intellectu essencie. Hoc autem in quo differunt impossibile esse quin sit necessarium ad necessitatem essendi unumquodque, vel non sit. Si autem necessarium fuit necessitati essendi, necesse est tunc ut omnia conveniant in eo quicquid est necessarium esse. Si autem non est necessarium esse necessitati essendi, tunc necessitas essendi discreta est ab eo et est necessitas per se, illud autem essentialiale est accidens affixum extrinsecus et adveniens necessitati post plenitudinem sive perfectionem necessitatis essendi: hoc autem jam ostendimus esse absurdum: igitur in illo debet differre. Debemus autem hoc adhuc amplius alio modo ostendere. Impossibile enim est necessitatem essendi dividi per multa nisi uno duorum modorum, scilicet vel sicut res dividuntur per differentias vel sicut dividuntur per accidentia. Scimus autem quod differentie non recipiuntur in diffinitione ejus, quod ponitur ut genus. Genus non dat generi essentiam ejus, sed dat ei esse in actu, sicut rationale. Rationale enim non prodest animali quantum ad alteritatem, si prodest ei ut ipsum sit in actu essentia appropriata; oportet ergo ut differre necessitatis essendi si forte sicut alique non prosint aliquid quantum ad

essenciam necessitatis essendi nisi ad esse in actu. Hoc autem factum est duobus modis, uno quidem propria essentia necessitatis essendi non est nisi necessabilitas essendi; esse enim est consequens illam vel superveniens illi, sicut scisti; ergo differre non possunt necessitati essendi nisi quod est inter essenciam sue forme. Jam autem prohibuimus hoc inter genus et differentiam alio modo et ad hoc ut ipsa necessitas essendi habeat: oportet ut pendeat ab alio dante eam: unde intentio necessitatis per quam res est necessarium pendebit ex alio. Nos autem loquebamur de necessario esse per se, ergo res esse necessarium erit per se et necessarium esse per aliud, quod jam destruximus. Manifestum est igitur quod necessitatem essendi dividi per illa non est sicut genus dividi per differentias; manifestum est etiam quod essentia cui debetur necessitas essendi impossibile est aliquid esse generale quod dividatur per differentias aut per acumina: restat ergo quod sit aliquid speciale. Dicimus autem esse impossibile quod necessitas essendi sit aliquid speciale predicamentum de multis. Singularia enim cujuslibet speciei, sicut jam docuimus, postquam non sunt diversa intellectu essencie, debent esse diversa accidentibus. Jam autem ostendimus nullum accidens posse esse in necessitate essendi. Possumus etiam hoc idem alio modo ostendere summam. Dicimus enim quod necessitas essendi, cum de alio dicitur in quo est, aut omnino est propria ejus quod non habet esse nisi per eam, nec preter esse nec alterius et sic oportet ut necessitas essendi non habeat nisi unum singularem, aut eam habeat possibilitate aut necessario hec res erit non necessarium esse per se, cum ipsa sit necessarium esse per se, quod impossibile est: ergo necessitatem essendi non potest habere nisi una res tantum. Si quis autem dixerit quod cum hec una res habeat necessitatem essendi, non prohibetur tum habere eam alias res, vel cum alia res habuerit eam, non prohibetur tum hec res habere eam, dicimus quod nos non loquimur de necessitate essendi modo in quantum est propria hujus, sed quod est hujus sine consideratione alicujus alterius; non enim potest esse ut hec eadem proprietas sit alterius sed alia et consimilis et conformis que sic debetur ei sicut et illa huic.

»Dicimus etiam aliter quod si hoc quod unumquodque eorum est necessarium esse est id ipsum, tunc quicquid est necessarium esse est id ipsum et non aliud. Si autem hoc quod est necessarium non id ipsum est, immo necessarium esse adjunctum est ei quod est id ipsum esse, profecto hanc conjunctionem aut habet ex se ipso aut ex alio, si autem habet ex se ipso et hoc quod est necessarium esse est id ipsum, tunc quicquid est necessarium esse est id ipsum; si autem habet ex alio, tunc habet eam ex causa que est alia a se; ergo hoc quod est id ipsum est ex causa, et proprietas essendi que est ejus solius est ex causa; ergo est creatum. Necessarium autem esse unum est, experts comitantis. Non enim est ut species sub genere et unum numero est; non sicut singularia sub specie, sed intellectum sui nominis non habet nisi ipsum tantum; unde in suo esse non committat ei aliquid aliud: hoc autem alias exposituri sumus. Hec sunt proprietates quas habet necessarium esse. Jam autem ostendimus proprietatem ejus quod est possibile esse; proprietas enim ejus est quod non eget alio per quod habeat esse in actu; omne autem quod possibile est esse, cum consideratur per se ipsum semper est possibile esse; contigit autem aliquando necessarium esse per aliud, et

quod sic est aut non habet necessitatem essendi semper sed aliquoties, et quod sic est opus habet materia que ipsum precedit tempore, sicut mox ostendemus; aut necessitatem essendi habet semper et per aliud, et quod sic est, omnino non est simplex: aliud est enim quod habet considerationem sui ipsius et aliud quod habet ex alio, at ipsum enim quod est habet ex utroque, scilicet ex se et alio, et propter hoc nichil est adeo primum, adeo simplex quod non habeat aliquid possibilitatis et potencie in se ipso nisi necessarium esse tantum. Constat ergo quod necesse esse nec est relativum nec est mutabile nec multiplex, sed solitarium, cum nichil aliud percipiat in suo esse quod est ei proprium; et hoc non est (nisi) solus Deus que est prima causa et primum principium omnium, quod unum tantum necesse est intelligi, non duo vel plura. Unum enim duobus prius est, omne enim illud prius est alio quod destructum destruit et positum non ponit; nisi autem precedat unum, non erunt duo; aut si duo fuerint, necesse est unum esse; sed non convertitur: si unum est duo, duo esse necesse est. Duo igitur principia esse non possunt. Dicitur utrumque prius esse laborans; neuter neutri principalem sedem relinquit, nisi enim alterutrum alterutro prius esset, nequaquam primum omnium existeret: unum igitur est principium, una est causa efficiens omnium.

»Causa autem, ut predictum est, alia est primaria, alia secundaria, alia tertia. Primaria causa est causa efficiens, quoniam propria movet ut aliquid explicetur, et hec est primaria et simplex causa que cum sit immota, cunctis aliis movendi est causa: unde dicitur stabilis quia manens dat cuncta moveri. Omnis enim motus a quiete incipit, et idcirco necesse est ut omne quod movetur id quod in motum est motum precedat; ergo in motum quod cuncta movet, id primum omnium et efficientem causam esse necesse est, et hec causa universitatis Deus conditor est: unde et ipsum moveri non potest cui potentia semper in actu est, quia a quo vel ad quod movetur non est. Motus enim, ut predictum est, est exitus, de potentia ad actum: ergo nichil movetur nisi quod imperfectum est. Movetur autem ad hoc ut perficiatur per illud ad quod movetur. Si ergo primum principium moveretur, tunc illud imperfectum esset. Sed omni imperfecto aliquid perfectum prius esse convicitur, cujus collatione hoc imperfectum dicitur: omnis enim imperfectio perfectionis est privatio. Si ergo primum principium moveretur, tunc ab alio moveretur; tunc aliquid aliud prius eo esse videretur ex cujus collatione hoc imperfectum videretur. Item omne quod movetur movetur ab alio; sed omne id a quo aliquid movetur causa est efficiens motus ejus quod movetur; omnis autem causa efficiens prior est eo cuius est causa; ergo omne id a quo aliquid movetur prior est eo quod movetur. Si ergo primum principium moveretur, tunc ab alio moveretur quod esset prius eo; sic ergo primum principium non esset primum. Item quicquid movetur ad aliquid movetur, quoniam quicquid movetur, de potentia ad effectum movetur; potentia vero et effectus opposita sunt; sed quicquid movetur ad aliquid non habet illud ad quod movetur: si enim haberet jam, non ad illud moveretur, sed in eo quiesceret; finis enim motus est adeptio ejus propter quod et ad quod motus fit. Si ergo primum principium moveretur, profecto ei aliquid deesset propter quod adquirendum moveretur, et ita esset insufficientis; unde necesse est aliquid aliud esse sufficiens et plenum per quod perficeretur, et illud idem

aut moveretur aut non. Si autem moveretur, usque in infinitum. Restat ergo quod aliquid sit primum principium quod nullo modo moveatur, et hoc est id quod dicitur, Deus. Unde omnis motus est alienus ab essentia ejus; omnis vero motus est in opere ejus quemadmodum nutus ma..... quidem super eos compositiones et resolutiones; in subjecto vero alia compositio, alia resolutio nec simul ejusdem¹.

»Secundaria vero causa est per quam aliquid administratur tercie et quarte causis et sic deinceps, ex quibus et ut in quibus aliquid ut celestes spiritus, anima, natura et multa alia que, cum sint effectus prime cause, sunt et ipsa causa sequentium de quibus verba secuntur; ultima autem causa est finis omnis intencionis, ut sicut prima est quam nulla prevenit, et ultima sit quam alia nulla antecedit, inter quas sunt multe medie; quarum unaqueque est effectus precedentis se et causa sequentis se, et quoniam nichil quo scilicet prima causa movet sit a causa sine motu, idcirco motus earum dividendus est: motus igitur prime cause, quo scilicet prima causa movet, alius dicitur creatio, alius compositio, sed primus est creatio, secundus est compositio; motus vero secundarie cause cujusdam tantum est compositio, cujusdam et generatio. Nam compositio alia est primaria, alia secundaria; primaria est ex simplicibus, secundaria est ex compositis; et secundaria alia naturalis, alia artificialis; et creatio quedam est a primordio primorum principiorum ex nichilo. Compositio vero est primarum rerum ex ipsis principiis que seniles facte nunquam occidunt, ut pote ex prima conformatione compacte; generatio vero est ex eisdem principiis eorum que nascuntur et occidunt usque, non per ea que proposita sunt reparatio tanquam de residuis..... denuo confecta rerum protractio. Creatio autem et compositio ita se habere videntur ut, licet creatio natura et causa prior videatur, nunquam tamen et ordine vel tempore vel loco prior intelligenda est. Generatio autem quoniam per compositionem descendit, necessario tempore posterior succedit. Sed quoniam nichil incipit esse sine motu, idcirco quecumque initium habent, aut habent initium per creationem aut per compositionem aut per generationem; unde quecumque habent enim initium nature et proprie aut sunt creata de nichilo aut facta ex aliquibus per compositionem vel per generationem, ex aliquibus vel alio per corruptionem alterius forme, licet in Scripturis alia pro aliis assumpta videantur sed inproprie per creationem. Ergo initium habent prima principia rerum que de nichilo creata sunt, que sunt principium materiale et principium formale. Creator enim aliquod principium creavit; sed omne creatum a create debet esse diversum. Cum igitur creator vere unus sit, profecto creaturis non debuit esse unitas; sed sicut inter creatorem et primam creaturam nichil fuit medium, sicut inter unum et duo nichil est medium; primum enim quod est diversum ab uno, hoc est duo; cum igitur Creator vere sit unus, profecto creatura que post ipsum est debuit esse duo. In unitate enim non est diversitas, sed in alteritate; sed primum principium alteritatis: binarius est qui prius ab unitate recedit. Si igitur primum creatum unum esset, tunc nulla esset diversitas; si vero nulla esset diversitas, nulla esset que futura esset earum universitas: quapropter duo simplicia ab uno simplici primum creari debuerunt ex quibus

¹ Así está en el original.

omnia constituenda erant; constitutio autem non potest fieri nisi ex diversis, quare diversa esse debuerunt; sed non potuerunt esse due materie, ex duabus enim materiis et pluribus sine forma nichil constitui potest. Cum enim ex forma sit omne esse, tunc si utrumque esset materia, nullum esset esse. Similiter nec due forme esse poterunt: forma enim sine materia subsistere non potest; qua propter nec utrumque potuit esse materia nec utrumque forma; procul dubio ex necessitate debuit esse alterum materia et alterum forma. Nam quia non esse non habet formam, oportuit esse habere formam, et quia esse debuit esse finitum; nichil autem finitur nisi per formam: ideo oportuit ut esset forma per quam finiretur, quia forma est continens esse rei. Item quia prima unitas agens non habet yle, oportuit ut unitas que post eam sequitur sit habens yle: contraria enim contrariis conveniunt, et quia forma non habet esse nisi vi materie in qua subsisteret. Item quia creator perfectus primum opus perfectum creare voluit: perfectus autem est creare in quo aliud et quod in alio subsistat, scilicet sustinens et sustentatum quam alterutrum, et quia creator in se sustinens est nichilo indigens, profecto creatum quod ab eo diversum est debuit esse insustinens et indigens; et ideo necessario quia duo erant, profecto talia esse debuerunt ut alterum altero indigeret vicissim et neutrum proficeretur nisi ex altero; quare propter unum debuit esse materia et alterum forma. Tria enim sunt principia omnis geniture: primum scilicet causa efficiens; secundum, id est quo; tertium, id in quo; quoniam tanquam vivens patientis vite super..... virtutis ad omnes motus patet rerum monstratus jam nominatur; forma vero id est quo quoniam informem illam necessitatem agentis virtutis motibus in varios..... effingit: e forma enim secundum hujusmodi necessitate ornatus est materie; materia vero forme necessitatis in omni siquidem rerum constitutione sustinens imprimis est necessarium; posterius est operis e..... per formam¹: unde nec materia potuit esse sine forma, nec forma sine materia, impossibile est et ut altera sit sine altera, quia non proficitur esse nisi ex conjunctione utriusque: unde altera alteri videtur dare esse et utraque utriusque videtur causa esse ut sit. Si autem utraque utrique dat esse, cur non utraque in se habet esse? Quod enim non habet esse nulli dare potest esse: unde sciendum est quod esse duobus modis dicitur: est enim esse in potencia quod est proprium essencie uniuscujusque materie per se et uniuscujusque forme per se, et est esse in actu quod est proprium materie et forme simul conjunctarum. Impossibile est enim quod materia vel forma per se sic dicatur esse sicut dicitur esse cum una conjungitur alii. Enim intelligitur conjung..... convenit eis id esse quod est proprium conjunctarum, quod ex conjunctione earum necessario simul sit aliqua forma quod non prius erat in unaqueque earum sine altera, ex conjunctione enim quorumlibet diversorum provenit forma que non prius erat in aliquo duorum: unde aliter intelligitur esse materie sine forma et forme sine materia et aliter conjunctorum. Esse enim uniuscujusque istarum per se est esse in potencia; esse vero illarum simul conjunctarum est esse in actu; unde ante conjunctionem utraque habet esse in potencia, sed cum altera alteri conjungitur, utraque de potencia proditur ad effectum. Unde quamvis dicatur quod materie preajacenti forma advenit, ta-

¹ Otro pasaje embrollado por el antiguo copista, hasta el extremo de hacerle casi ininteligible.

men materia respectu causa primam formam nullatenus precessit. Cum enim esse ex forma sit, profecto materia sine forma nec uno momento esse potuit, sed nec causa materia formam precessit, cui forma est potius causa existendi ut sit. Esse enim per quod aliquid est, est causa ejus quod per ipsum est, et quia esse non est nisi per formam et materia nunquam fuit sine forma, sed quia forma non est nisi per existenciam materie formate, idcirco impossibile est materiam esse sine forma, quoniam non perficitur nisi per conjunctionem utriusque. Esse enim, ut philosophi definiunt, nichil aliud est quam existenciam forme in materia; ergo neutrum sine alio habet esse. Omne autem esse diversum est ab esse ejus est profecto aut est diversitas inter formam et ejus esse. Item cum illud esse sit ex forma (omne enim esse ex forma), tunc illa forma aut habet esse aut non et ita in infinitum et videtur. Si vero forma sine materia esse habere dicatur aut forma sine materia sicut materia sine forma nullatenus esse prohibetur, sed hoc totum de actuali intelligitur esse. Si vero quis dixerit quod materiale esse formale esse precessit, omne enim quod actu est incipit aut quod possibile fuit, et idcirco possibilitas materie precessit esse forme, respondemus ad hoc quoniam sicut actu neutrum altero prius est, sic nec potentia. Ex quo enim cepit esse possibilitas materie existendi per formam, ex tunc cepit possibilitas etiam existendi formam in materia: unde sicut actu simul fuerunt, ita possibilitate non se preveniunt. Hec igitur duo, scilicet materia et forma, sunt prima principia omnium incipientium et simul ultimus omnium, excepto creatore eorum, sed prima principia sunt in compositione, finis ultimus in resolutione quoniam sunt prima a quibus omnis compositio incipit, ita sunt multa in quibus omnis resolutio finit, que nichil nisi solus creator non tempore sed causa et eternitate precedit. Licet ergo neutra precedat aliam tempore vel causa nec in esse in effectu nec in esse in potentia, dicitur tamen forma dare esse materie et non dicitur materia dare esse forme, cujus ratio hec est: forme materia de potentia ad effectum transit, esse vero in potentia, quod non esse reputatur comparatione ejus esse quod in effectu est, esse in effectu tunc primum habetur cum materia forme conjungitur; ideo propter hanc principalitatem non materia forme sed forma materie dare esse videtur.

Item materia semper permanet, sed forma advenit et recedit, licet non omnis, et quia forma adveniens constituit et recedens destruit id quod formatum est per eam, quemadmodum remota anima corpus destruit, ideo esse potius attribuitur forme quam materie.

Item quicquid fit, initium habet a materia sed a forma perficitur, dignior autem est perfectio quam incoactio; dignior ergo est forma quam materia, eo quod materia dat initium, forma vero consummationem. Quod autem materia preceat et forma adveniat, sic probatur: omne quod fit antequam fiat possibile est fieri; si enim non esset prius possibile fieri, tunc impossibile est fieri, et ita nunquam fieret. Omne igitur quod factum est possibilitas essendi precedit illud esse in actu; sed possibilitas essendi ex forma, tunc enim res in effectu vere esse dicitur cum forma materie conjuncta esse censetur. Sic ergo in constitutione rei materia preceat et forma advenit, et rebus materia initium, forma vero perfectionem tribuit; unde quamvis neutra in actu habere esse nisi ex altera comprobetur, tamen non materia forme, sed forma materie dare esse prohibetur. Hinc est quod materia dicitur desiderare for-

mam et moveri ad recipiendam illam, motu scilicet naturalis appetitus quo omnia appetunt esse una; una enim non possunt esse nisi per formam.

Item omne imperfectum naturaliter appetit perfici. Sed materia sine forma imperfecta, quoniam in sola potentia, tunc autem perficitur cum forme adjungitur: ideo formam naturaliter materia appetit, quia per eam de potentia ad actum, de non esse ad esse, de non perfectione ad perfectionem transit; et per hoc dicitur, quoniam omne esse ex forma est, esse in actu, non in potentia. Esse enim in potentia materiam habet sine forma et formam sine materia; sed esse in actu non nisi ex forma esse dicitur, quoniam res de potentia ad actum non ducitur nisi cum materie forma adjungitur. Intelligitur etiam hoc aliter. Omne enim quod est, vel est sensibile vel intelligibile; sed sensus non conjungitur nisi forme sensibili et intellectus non conjungitur nisi forme intelligibili: nichil enim naturaliter conjungitur nisi suo simili. Forme enim sensibiles et intelligibiles medie sunt interposite inter formam intelligentie et anime et modos formarum intelligibilium; sed quia forme non conjunguntur nisi formis, quoniam ipse sunt que conveniunt cum illis propter similitudinem quam habent inter se in eodem genere; ideo intelligentia et anima non apprehendunt esse rei nisi per suas formas, et ideo omne esse non ex forma est, sed ex forma esse cognoscitur; quapropter si omne esse ex forma est, forma utrumque non est esse. Quicquid enim ex alio est non ipsum (est) ex quo aliquid est: sed omne esse ex forma est: nullum igitur esse forma est et nulla forma est esse. Esse enim est quiddam quod inseparabiliter committatur formam. Cum enim forma in materiam advenit, necesse est ut esse in actu sit; quapropter, cum omne esse est ex forma, sed inter esse et non esse non est medium, tunc materia sine forma videtur esse privatio: unde quiddam notaverunt eam carenciam. Sed tamen debet non dici privatio absolute, eo quod habet esse in se, scilicet esse in potentia. Esse enim in actu removetur a materia tantum in se quod esse non habet in se materia, nisi cum intelligitur conjuncta forme, remotione ejus esse tantum materia potest dici privatio, non tamen privatio absolute. Privatio enim absolute non potest operire ad esse de quo ulla procedit sciencia; materia vero cum intelligitur per se sine forma, habet esse in potentia, scilicet illud esse quod habet creatoris sapientia; esse vero materie in sapientia creatoris est sicut esse intellectus de materia in anima mea, et si privatus est apud te, non est privatus apud me, et propter hoc esse, scilicet esse in potentia quod nunc nichil est, dicitur materia desiderare et moveri ad formam; nichil movetur nisi ad habendum aliquid quo caret; habere autem quo caret est perfici per illud; sed materia per formam perficitur; materia ergo ad habendam formam movetur ut per eam perficiatur; materia ergo habet aliquid esse sine forma, scilicet esse in potentia. Si enim nullo modo esset, non diceretur moveri ad habendam formam. Similiter et forma sine materia habet esse in potentia; unde non est inconveniens quod utraque sine alia habet esse et non est similis diverso modo. Esse enim materiale quod est esse in potentia diversum est ab esse formali quod est esse in actu; sed esse materiale utramque habet per se sine altera, sicut esse formale habet utraque si conjuncta cum altera; sed quia homines non conserverunt dicere esse nisi quod in actu est, esse vero in actu non habetur nisi cum forma materie conjungitur, ideo esse non convenit materie per se, nec forme per se, sed con-

junctis simul; et ideo quicquid est compositum ex materia et forma, habet similiter esse compositum ex esse in potencia quod est esse materiale et ex esse in effectum quod est esse formale. Sed quia esse et unum in te perstat quoniam quicquid est ideo est quia unum est; sicut neutrum esse habet per se sine altero, sic neutra est per se sine altera. Quicquid enim est, vel est unum vel multa; quia igitur nec est unum nec multa, qua propter materiam per se intellecta sine forma et forma sine materia intellecta, una dici non potest; nam quia unitas forma est, tunc si materia sine forma esset una, profecto materia sine forma esset multa cum forma, quod est impossibile; et quia omne esse dicitur unum, tunc non est possibile ut unitas existat in non esse: unde nec materia nec forma habent esse in actu aut unitatem, sed simul esse inceperunt. Cum enim forma materiei adjuncta est, statim unitatem producit, quia ex conjunctione eorum aliquid unum fit; unde esse et unitas unum simul esse natura, quoniam cum aliquid est, illud est unum, et cum est unum, illud esse necesse est, ac per hoc sicut materia sine forma, vel forma sine materia non habet esse, sic neutra sine altera est unitate una, et tamen philosophi cum describunt primam materiam et formam dicunt: materia est prima substantia per se existens, sustentatrix diversitatis, una numero. Item: materia primo est substantia receptibilis omnium formarum; forma vero prima est substantia constituens essentiam omnium formarum, quamvis autem per hoc ostendatur una differre ab alia, omnis autem differentia forma est; non tamen dicendum est quod una differat ab alia per aliquid aliud a se diversum numero, per se ipsam unaqueque differt ab alia, non per differentiam que est conveniencium, sed que est oppositionis et vere contrarietatis; quoniam unaqueque illarum aliud est ab alia. Si enim substantialitas et unitas forme sint, tunc cum utraque dicatur de substantia una numero, profecto nec materia in se omnino informis est, nec forma omnino simplex, cum substantialitas et unitas sint earum proprietates. Unde dicendum est quod substantialitas et unitas non sunt forme materiei et forme quasi ab eis diverse, sed sunt ipsum et materia et forma, non aliquid aliud ab eis, nec est aliud materia quam substantia que aliquando materia et aliquando substantia dicatur. Materia enim dicitur cum ad substantiam refertur; substantia vero dicitur cum per se accipitur. Ipsa materia diversis responsionibus, diversis nominibus appellatur: ex hoc enim quod est in potencia receptibilis formarum, vocatur *yle*, et ex hoc quod jam in actu est sustinens formam subjectum vocatur, sed non sicut in logica subjectum accipitur cum substantia describitur. *Yle* enim non est subjectum hoc modo sed est subjecta forme et ex hoc est communio omnibus formis vocatur vel massa vel materia, et ex hoc quod alia resolvuntur in illam, quoniam ipsa simplex pars omnis compositi, vocatur elementum quemadmodum et in aliis, et ex hoc quod ab illa incipit compositio, vocatur origo, sed cum incipitur a composito et pervenitur ad eam, vocatur elementum. Forma que non videtur esse substantia; proprietas enim substantie est per se existens forma, nec potest per se existere quod non habet esse in actu nisi in materia: unde quia eget materia ad suum esse, quidam vocaverunt eam accidentalem, non tamen accidens; sed quia omne esse ex forma est, ex accidente vero non est esse si alicujus modi, idcirco non est forma accidens sed est substantia, quia quicquid est, est substantia vel accidens. Plato tamen primam materiam di-

cit fuisse inter aliquam substantiam et nullam, et merito, quoniam inter omnino esse et omnino non esse substantia medium est re..... esse et ideo materia que ante conjunctionem in sola erat potencia, inter nullam substantiam et aliquam fuisse dicitur ut sola potens essendi intelligatur fuisse. Nomen enim substantie illi materie proprie congruit que jam aliam formam recepit per quam facta est aliqua substantia, unde et substantia dicitur quod alicui forme subsistit. Materia ergo prima non fuit aliqua substantia quia in se et ex se nullam habuit formam: esse enim aliquam substantiam propria forma facit; sed nec ulla substantia fuit quia in ea potencialiter omnis forma fuit et potencia omnium formarum ipsa receptibilis fuit; unde vel ab aliis substantia dicitur eo modo quo dicitur ovum esse animal. Ovum enim actu non est animal, sed tantum potencia, hoc est; in substantia ovi est materia sive potestas, sive potencia, sive aptitudo ut ex eo per generationem fiat animal: unde ovum nec omnino potest negari animal nec omnino affirmari, quoniam potencia est animal, qui modus essendi medius est inter esse et non esse; qua propter materia in se non est nisi possibilitas essendi.

Queritur de hac potestate si sit aliquid vel nichil, scilicet sola vox cassa sine intellectu aliquo. Si enim potestas essendi omnino nichil est, tunc cum materia potestas esse dicitur, omnino nichil esse dicitur et de nichilo loquuntur qui de materia tractare conantur. Si autem aliquid est, tunc fuit substantia vel accidens, sed quia potestas relativa est ad posse, potestas enim non est nisi res possibilis et possibile non nisi potestate possibile videtur esse accidens. Si autem est accidens, tunc necesse est ut habeat substantiam in quo subsistens non erat nisi Deus in quo nullum accidens esse potest; accidens ergo esse non potuit quia in quo subsisteret non habuit; fuit ergo substantia. Sed quia inter nullam et aliquam substantiam profecto nec substantia nec accidens fuit, hec enim divisio in solis naturalibus est, iterum de hac potestate que est materia, queritur si ceperit esse vel non: hoc modo: quicquid enim incipit esse antequam incipiat esse, est in sola potencia, scilicet antequam incipiat, possibile enim incipere esse; si enim non esset possibile incipere esse, profecto nunquam inciperet esse: potestas igitur essendi precedit illud esse; sed materia per se considerata sine forma fuit in sola potencia: aut igitur cepit esse in potencia aut non cepit esse. Si autem non cepit esse in potencia, tunc sine initio esse fuit in potencia, sed esse materie per se est esse in potencia: esse igitur materie est sine initio. Qua propter materia in se omnia est, quoddam eternum est et est quod, cum non incipit esse, creatum non est; tunc nec de nichilo nec de aliquo creata est. Si autem cepit esse in potencia; sed omne quod incipit esse aliquo modo precedit illud: possibilitas essendi illo modo, tunc materiam esse in potencia precessit possibilitas essendi in potencia; et similiter de possibilitate illa posset queri si ceperit esse, et ita in infinitum. Item predictum est quod materiam esse in potencia est eam esse in sapientia creatoris; sed nichil incipit esse in sapientia creatoris, tunc enim aliquid novi sibi accideret, quod est impossibile: igitur materia non cepit esse in potencia; sine initio igitur fuit in potencia, quia sine initio fuit in Creatoris sapientia. Materia igitur secundum esse materiale, quod est esse in potencia, non cepit esse; similiter et forma. Unde illud esse quod factum est in ipso vita erat. Videtur autem materia cepisse secundum formale esse; nam quia creatio est adquisitio es-

sendi, esse vero non est nisi ex forma, tunc eam creari nichil aliud fuit quam forme conjungi, nunquam enim unum fuit materiam esse et formam conjunctam fuisse vel esse: simul enim create sunt, quia simul esse ceperunt cum sibi conjuncte fuerunt. Cum enim materia et forma opposita sint, opposita vero per se sibi non conjunguntur nisi per aliud, sed materia et forma non habent esse nisi per conjunctionem suam inter se, profecto sibi conjungi fuit eas de nichilo creari, quia non habent esse per creationem nisi ex suo opposito: oportet ut esse sit ex privatione, id est ex non esse, ac per hoc materia est ex non materia et forma ex non forma; privatio autem nichil est: qua propter materia et forma de nichilo creata esse dicuntur, quia enim solus creator erat, profecto non nisi de ipso et de nichilo creari potuerunt. Quod autem de ipso est, nichil aliud ab ipso est, sed idem cum ipso, ideoque nec factum nec creatum, sed generatum vel procedens. Hec autem diverse sunt ab ipso, quare non de ipso sed de nichilo creata sunt, cum nichil esset de quo creari potuerunt. Si autem materia et forma fierent per generationem, omne autem naturale sit ex suo simili, tunc fieret hoc in infinitum: quare materia et forma non habent esse per generationem et ideo utrumque simplex fuit quia ex quo fierent nichil illa precessit, quorum creatio fuit primus motus, quoniam nullus motus precessit. Sed omnem motum creatio non tempore sed causa precessit de quo motu creationis sic queritur: nichil fit nisi quod possibile est esse, sed omne quod possibile est esse, dum fit exit de potencia ad effectum: ergo esse quod fit de potencia exit ad effectum; sed exire de potencia ad effectum nichil aliud est quam moveri de potencia ad effectum; omnis enim exitus est motus. Quia autem movetur de potencia ad effectum, nondum est in effectu; nichil enim movetur ad id in quo est; prius igitur est moveri de potencia ad effectum quam esse in effectu. Nichil autem est in effectu nisi per formam; omne enim esse forma est: unde moveri ad esse in effectu nichil aliud est quam moveri ad esse per formam, prius igitur est moveri ad formam quam esse per formam; sed forma non est nisi in eo quia per ipsam est; id autem quod per ipsam est prius movetur ad ipsam quam habet esse per ipsam, sed creatio motus est ad esse per formam: motus igitur creationis videtur precedere omnem formam et ita omne quod habet esse per formam. Hec igitur duo, scilicet materia prima et forma prima, priora sunt omnibus habentibus initium, eo quod hec sola esse habent per creatum; cetera vero initium habent vel per conjunctionem istarum et sublevationem vel commixtionem generatorum.

» Dicunt tamen theologo quidam ex poetis materiam in primam fuisse quandam rerum confusionem atque permixtionem, in qua rerum confusione hoc terrenum elementum medio uno eodemque loco subsidens, ceteris in una confusione permixtis forma meliore preditum; sed eadem circumquaque in modum cuiusdam nebule oppansis ita involutum, ita ut non posset apparere quod erat; tria vero alia sibi permixta atque confusa circumquaque suspensa ea usque in altum porrigebantur, quo nunc sumitas creature corporee terminatum totumque hoc spacium quod a superficie terre in medio jacentis usque ad extremum supremi ambitus extenditur illa caligine et nebula replebatur, et qui nunc sunt alvei secundum tracciones acuarum jam tunc in tempore corpore aquis futura receptacula parata erant, in quibus etiam illa magna abyssus in qua omnium fluentia aquarum fluxerunt erant pacto ad

hoc hyata vacuoque horrendum in preceptis inane prefererat cui quid de super illius tenebrosae caliginis qua tunc tota terre superficies obvoluta erat tendebatur, quas, ut aiunt divine scripture, cum celum et terra darentur superficiem abissi fuisse testatur, talis dicatur fuisse creata mundi facies in principio priusquam formam susciperet et distinctionem que sit qua informis creata, ibidem fuit ubi est formatu subsistit. Ubi cum moyses dicit in principio creavit Deus celum et terram; per celum et terram omnium celestium terrestrium que materiam hoc modo volunt intelligi, de qua communiter post ea per formam distincta sunt que ipsa prius per essenciam simul data sunt. Deinde autem cum addit: «terra autem erat inanis et vacua», istud elementum designat et celum: «erat illa mobilis et levis confusio reliquorum que in circuitu medie jacentis terre suspensa ferebantur». Deinde quod dicit: «et tenebre erant super faciem abissi» et cetera que sequuntur ad aperiant descripciones predictae materie. Sed etiam consonat poeta dicens:

Unus erat tote nature vultus in orbe
Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles.

Sed secundum philosophos qui tenent angelicam creaturam constare ex materia et forma, non videtur hec fuisse prima materia omnium creaturarum. Quam quia corpus fuit spiritum utique materia esse non potuit, et quia permixtionem eam fuisse dicunt tam elementorum vel elementatorum de qua celestia corpora per distinctionem forme distincta sunt; contra philosophos loqui videntur qui corpora celestia non ex elementis sed ex materia prima facta fuisse testantur. Quod autem illa confusio rerum non fuit prima materia, sic probari videtur: elementa constant ex materia et forma, elementa enim corpora sunt quia circumscripta sunt et qualitates habent; quecumque autem constant ex aliquibus, posteriora sunt eis ex quibus constant; materia igitur et forma priora sunt elementis. Sed chaos illa erat permixtio ex elementis et elementatis, quare chaos illa de nichilo creata non est que siquidem ex multis corporibus commixta est, nulla enim res de nichilo creata dicitur que ex causa multis composita esse videtur: quare chaos illa prima materia esse non potuit quia creatio eorum simplicium eam antecessit etsi non tempore, tamen causa. Item quicquid resolvitur in aliqua, posterius est eis in que resolvitur; sed chaos resolvitur in elementa, et elementa in elementata; elementata vero in materiam et formam. Cum igitur chaos multis corporibus posteriora sit, profecto materia omnium corporum esse non potuit. Conveniens ergo dicitur materia prima et forma prima ea quibus nichil prius esse videtur nisi creator eorum; quarum conjunctio fuit prima compositio. Prima enim compositio est prime forme cum materia prima conjuncta que est in celata quedam forme causa materia coeuntis habitu, ex quarum tanquam masculi et femine conjunctione rerum omnium pervenit ergo ratio quia enim materia est tantum paciens et non agens, forma est tantum agens et non paciens. Forma enim agit in materiam quoniam ipsa tantum perficit illam et dat ei esse in actu; sed materia non habet actionem quoniam ipsa in se non est nisi tantum receptibilis, hoc est, apta recipiendum tantum forme actionem. Ideo philosophi formam virum, materiam autem feminam vocant, quoniam in actu est ex materia perjacente et